baliste ipse pertinencie protendantur, sibi et suis heredibus 177
reservavit, ita, quod de ipsis maritimis infra idem spacium domini terrarum et locorum ipsorum aut procuratores vel vassalli eorum se nullatenus intromittant, set custodiantur pro parte curie per homines tantum demanii supradicti.

[7.] Si vero aliqua super extractione victualium ferendorum extra vel infra regnum de portubus iurisdictionis vestre ad vos mandata aliqua regia vel nostra emanaverint, nominibus portuum et locorum, a quibus extrahi debeant, non expressis, ea tantum de portubus et locis iurisdictionis vestre predicti demanii ad ipsorum extractionem victualium deputatis extrahi faciatis, in ea tantummodo quantitate, quam in ipsis mandatis videritis contineri, recepto ab extrahentibus iure exiture, prout ipsa mandata plenius et expressius declarabunt.

[8.] Exigatis vel exigi faciatis pro parte curie de onere cuiuslibet vasselli navigantis ad partes ultramarinas, habentis duas caveas, balistas de cornu tres, unam videlicet de torno, aliam de leva et aliam ad unum pedem, et habentis unam caveam, balistas duas de cornu, unam videlicet ad duos pedes et aliam ad strengam, quas ad Cameram regiam transmittatis.

[9.] Demania vero excadencia et morticia infra tempus vestri officii nostre curie in eisdem partibus proventura, de quibus diligenter et fideliter inquirere vos volumus, debeatis cum omni studio et sollicitudine pro-